

que titulos, fontes & classes. Etenim formale Logices est immutabile. 2. Frustra esse eos, qui partim *Topicam* relegare ex scholâ Logicâ cupiunt, partim solius Logices ope, absq; *realium disciplinarum supellectile*, realem se invenire argumentorum copiam posse existimant. Nam illi *Topices usum ac finem*, huius *instrumentalem Logices naturam* parum intelligunt.

Th. XVII. *Ultima* tandem sectio *Sophisticam* sive conditionem & resolutionem *materiae falsæ*, quæ tamen vera apparet, enucleat: ubi not. 1. *Sophisticam* rectè in Logicis tractari; eamque 2. docendam esse, ne *decipiamur*. Quicquid n. *instrumentaliter* facit ad *meliores ac faciliorem Veritatis apprehensionem*, illud ad *Logicam* pertinet, ibique *sufficienter* debet tractari.

Th. XVIII. Postquam nunc exstructa *inveniendæ veritatis instrumenta* sunt, consequenter sollicita est Logica de idoneâ & concinna *reperthæ in rebus veritatis ordinatione*, ac suggerit *instrumentum*, quò custodiatur illa, communicetur ac propagetur. Dixi consequenter. Prius n. *discurrendum* est ac *indaganda* veritas, quàm *varii discursus*, reperthæ veritatis *autores & custodes*, debito ordine disponantur. Hujus rei instrumentum est *Methodus*, quæ agmen instrumentorum Logicorum claudit. Subjicienda de *Methodo* plura quo minus proposuerimus, in causa fuit istud, ad chartæ calcem quod personabat: *Manum de tabula*. Sit igitur

SOLI DEO GLORIA

Coll. diss. A. 122, misc. 70